



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LXIX. Plaga occulta repente sanata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

quanto post febris exceptus est continua, quæ cum hominem dies septuaginta tres confecisset, in pestilentem denique desuit, opinionisque omnes medicorum præscidit. Visitabat iacentem frequens Ignatius, & confirmabat quidem patientiæ monitis, sed erigebat sanationis fiducia, quam pollicebatur semper à matre Virgine, ipsoque adeo, quo sacro viatico munitus est die, sic assuevanter hoc idem inculcauit, ut videretur prænosse diuinitus. Nocte igitur illa quæ fore vltima putabatur, ægroto adstitit in veste candida venerabili aspectu, & placido matrona, cincta Virginum choro, egregiâ formâ præstantium, compellansque benignè vigilantem, visne, ait, Petre sanari? cui Petrus, si Deus id probet, & sancta eius parens, libenter sanabor. Tum facta propior imaginem illi ea specie in manus dedit, qua Cryptæ Ferratæ virgo depingitur, iubens, ut cordi apponeret, quod ubi fecisset quietissimo somno indormiit. Adest postridie sub lucem medicus, an adhuc viueret dubius. Dormientem nactus, & arteriæ temperatissimæ, vetuit prius expergeri quàm eum reuisceret, addiditque, inesse rei miraculum. Venit Ignatius postea, ipsoque ingressu. Numquid, ait, es sanus? sanus; & quidem eximie; inquit Petrus. Nunquidnam dixeram, infert Sanctus, Deiparæ beneficio te sanandum, aliaque adiunxit ad singularem illius consolationem. Fuit hæc Petro instauratio vitæ, ac valetudinis, incitamentum perpetuum propensæ in Virginem voluntatis, & reuerentiæ qua profecutus est S. Ignatium cui ferebat acceptam à Deipara sanitatem.

LXVIII.

Ex lethalibus morborum complicatione sanatus.

Peculiarem habet admirationem quòd anno huius æui quinto in Hieronymo Maggio Neapoli actum est: huic febris continua, defectionibus, flatibus, hydrope simul implicito triduum omnino medici assignabant, nisi citius illum repentinus aliquis accessus extingueret. Quare hominum exspectes, appensis ad pectus S. Ignatij Lipsanis, medicam illius implorauit manum. Hæserant appressa pectori horas ferè tres lipsana, cum febris, flatibus, hydrope, morbis omnibus sic absolutus est, ut ne vllius quidem vestigium vllam superesset.

LXIX.

Plaga occulta repente sanata.

Biennio ante in S. Iacobi vrbe regni Chilensis primaria, Catharinæ Moralesiæ nobili virgini nata sunt diuersis in partibus vlcera quæ cum incrudescerent in dies, lecto demum illam sine motu fixere. Vnum præ cæteris eò molestius, ac periculosius, quod permitti medentis oculis præterquam matris non poterat; quæ cum esset medendi imperita, filiæ instabat ut chirurgum senem, & antiquæ virtutis admitteret, fore ni faceret, mortis suæ ream. Assensit itaque parenti virgo, haud paulo maiori remedij odio quam mali, quod vtrumque, ut ab se arceret conductâ in sequentem diem chirurgi operâ, nocte vehementer, ac diu, multisque cum lacrymis ab S. Ignatio petiit, ut si minus discrimini vlceris, honestati saltém suæ consulere. Annuit tam religiosè, ac impensè precanti Sanctus; somno enim mox capta, post aliquot horas cum euigilaret, corpus bellè omnino valens absque vlllo plagarum vestigio comperit.

Cazorla,